

beneficij, dum vacat, nec Domini loci, cum istorum nihil interfit fieri, vel non fieri unionem. Quod si hi unioni se opponant audiendi sunt, & allegationes examinandæ. *Garc. de Benef. p. 12. c. 2. n. 214. Sanchez in Dec. L. 7. cap. 28. n. 163.* Denique, & quidem præcipue, ad unionem iusta causa requiritur, sine qua unio per Ordinarium facta est nulla, imò, & à S. Pontifice facta; non ob defectum causæ, quia ea non indiget Pontifex ad unionis valorem, est tamen nulla ob subreptionem; nam in rescriptis unionum sub intelligitur clausula: *Si cause veræ sunt.* *Garc. p. 12. cap. 2. ex n. 113.* Causæ iustæ ad unionem faciendam sunt evidens necessitas, vel magna Ecclesiæ utilitas. *c. 33. h. t. v. g.* Si præbendæ sint adeo tenues, ut non reperiatur, qui eas acceptet, ac proinde Ecclesiæ careat debito servitio. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 5.* Vel si Ecclesiæ unienda est deserta à Populo propter bellum; vel pestem, vel si ab hostibus est destructa. *c. 2. de Relig. domib.* Vel si non inveniantur alij Clerici magis idonei, qui in Ecclesiâ, præcipue Cathedrali, servire velint: vel si cultus Divinus manifeste augetur. Et hæc de causa possunt beneficia etiam Monasterijs Religioforum uniri. *Sanehez in Decal. lib. 7. c. 29. n. 161. & alij.*

53. Cum beneficiorum unio sit, quid facti, probari debet ab eo, qui eam factam asserit, vel per litteras unionis, vel his amissis, per testes, vel instrumenta antiqua, in quibus beneficia unita adstruantur; vel ex diuturnitate temporis, vel per confessionem partis, si hæc alijs conjecturis, & adminiculis juvetur, nam licet hæc probatio non sufficiat ad declarandum beneficium unitum, sufficit, ut parti imponatur silentium, ne amplius impugnent unionem. *Garc. p. 12. cap. 2. ex n. 226.* Unio beneficiorum, & Ecclesiæ, semel facta, etiam potest dissolvi, non solum, si necessitas, vel utilitas evidens Ecclesiæ id suadeat, sed etiam si ratio unionis factæ cesset, vel alia causa superveniat, quæ causæ unionis prævaleat, & quidem debet dissolvi ab eo, qui eam potuit facere. *Arg. L. 14. ff. de Re judicat.* Sic solus Pontifex potest Cathedralium unionem dissolvere. *Arg. c. 1. Ne Sede vacante.* Episcopus dissolvit unionem beneficiorum, quæ ipsi subiecta sunt, etiam si talis unio à Papa facta sit, dummodo non sit facta ex plenitudine potestatis, & cum reservatione. Unio ergo dissoluta reddit Ecclesiæ ad pristinum statum, v. g. si erat Regularis, vel Sæcularis, vel sine

Cura animarum, ita manet. *Garc. de Benef. p. 12. cap. 2. n. 309.*

54. Unioni beneficiorum opponitur divisio, seu scissio beneficij, & ideo de divisione aliquid dicere convenit: Tunc enim dividi beneficium dicitur quando scilicet ex uno beneficio, vel Parochia, vel Canoniatu duo fiunt, ita ut divisus fructibus duo in posterum beneficiati, Parochi, vel Canonici instituantur. Ad divisionem beneficij faciendam debent vocari, & citari illi, quorum interest, & eorum consensus exquiri debet: quod si irrationabiliter consentire nolint, potest Episcopus ipsis invidis divisionem facere. *Trident. sess. 21. de Ref. cap. 4.* Et insuper requiritur, ut Episcopus intendat eligere duos ad duo jura, seu beneficia de novo creata. *c. 25. h. t.* Et quod divisione facta cuilibet portio assignata ad congruum sustentationem sufficiat; alias Episcopus, id, quod deest redintegrare tenetur. *c. 26. h. t.* sine iusta tamen causa est prohibita beneficiorum divisio in *c. 8. h. t.* Et quidem unica tantum est causa legitima: nimirum, quod divisione seclusa, non possit satisfieri oneribus, & obligationibus beneficij. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 4.* Quando, scilicet, Populus ita numerosus est, ut unus Rector non sufficiat Sacramentis administrandis, & Divino cultui peragendo, non verò est causa legitima, quod his extingatur, nec quod numerus Parochianorum sit magnus: imò, nec quod ex tali divisione cultus Divinus augetur. *Garc. p. 12. cap. 4.* Deinde stante morali necessitate, vel evidenti utilitate Ecclesiæ, potest Episcopus *dismembrare* beneficia: hoc est, beneficij unitate manente, partem bonorum, vel fructuum illius alteri beneficio, vel Ecclesiæ, quæ tenues redditus habeat, applicare. *c. 10. h. t. Garc. de Benef. p. 12. cap. 3. n. 1.* Ad quam dismembrationem faciendam est vocandus Rector beneficij dismembrandi; & requirendus consensus Ecclesiæ, cujus beneficium est dismembrandum, vel si Ecclesiâ, vel beneficium vacet, consensus defensoris illius est petendus. Si beneficium patronatum sit Patroni, si Parochiale Parochiani vocandi sunt, & Capitulum Cathedralis, etiam si ad ipsum non spectet beneficium, consentire debet. Quando dismembratio fit à Pontifice, vel à Delegato Apostolo sufficit, quod detur causa ad eam faciendam, etiam si non adhibeantur cætera solemnitates Juris Positivi, cum eas authoritates Pontificia suppleat. Quod si redditus sint valde tenues, & insufficientes supprimi

potest beneficium ab Episcopo, hoc est, totaliter valet extingui, saltem quando beneficium non est Dignitas. Debet exquiri consensus patroni, & aliorum, quorum interest. *c. 12. de Constitut. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 15.* Et cum Concilium dicat: *Licet Episcopis*, inferunt aliqui, nec Capitulum Sede vacante, nec Vicario, nec alijs Prælati inferioribus, etiam quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus, id licere.

TIT. VI.

De Clerico Aegrotante, vel debilitato.

55. CUM afflicto non sit addenda afflictio, sed potius ipsius miserie sit miserendum. *c. 2. 7. q. 1. c. 5. h. t.* Hinc Clericus, qui in beneficio Ecclesiastico Canonice institutus, & investitus est, ita ut habeat jus in re in beneficio, si ob senium, infirmitatem, vel mutilationem, vel alia causa, etiam ob culpam suam, est factus inhabilis ad officium sui beneficij exercendum, non est eo privandus, imò ei est dandus Coadjutor, qui ejusdem officium præstet. *c. 3. c. 4. c. 5. c. fin. h. t. L. 18. tit. 16. p. 1.* Ne jus impedimentum, vel Ecclesiæ sit damnosum, vel periculosum animabus, si beneficium est curatum. *Garc. de Benef. p. 4. cap. 5. Barb. L. 3. jur. Eccles. cap. 10. n. 3.* Quod si investitus non sit, non obstant collatione, cum collatio facta inhabili sit irrita, debet à beneficio removeri. Aliquando dantur Coadjutores pro tempore, quo beneficiarius laborat infirmitate, vel alio impedimento, & hi dicuntur Coadjutores temporales, & hæc coadjutoria certe non est beneficium Ecclesiasticum. Aliquando dantur in perpetuum, & cum jure successione, quadam portione ex ipsis beneficij assignata, ita ut etiam cessante infirmitate, vel impedimento, non cesset Coadjutoris officium: Et hæc coadjutoria, cum sit in perpetuum, est beneficium Ecclesiasticum. *Gonz. in c. fin. h. t. n. 4. Garc. & alij.* Quando vero alicui solum conceditur jus succedendi in beneficium alterius, cum vacaverit, & aliunde beneficium nullum habet impedimentum ad serviendum beneficio, quin, & ei servit, quin ab alio adjuvetur, ille non est verè Coadjutor, sed Successor. Si Episcopus confirmatis, etiam nondum consecratis, superveniat aliquod impedimen-

tum, vel aliqua infirmitas, quæ ac incurabilis, & perpetua, ut lepra, paralysis, vel alia; ob quam ad officium inhabiles reddantur, non sunt removendi ab Episcopatu, nec cogendi ipsi renuntiare; sed ipsis, etiam invitis, Coadjutor dandus est. *c. 3. & seq. h. t. c. un. h. t. in 6.* Quia vinculum spiritualis conjugij, quod inter ipsos, & eorum Ecclesiæ intercedit, solus Papa potest solvere. *c. 2. de Transl. Episc.* Idem dicendum est de Parochiis nam eis etiam dandus est Coadjutor, nec enim removendi sunt ab officio. *c. 3. & 5. h. t.* Idem est de alijs, quibuscumque Prælati Sæcularibus, aut Regularibus, quia nullus debet ab officio suo sine culpa removeri. Ab administratione tamen, & exercitio, cum illud exequi nequeant, omnes prædicti removendi erunt. *c. 4. h. t. Suar. de Cons. D. 51. sess. 2. n. fin. Barb. in c. 3. h. t. n. 2. & 3.*

56. Si infirmitas sit temporalis, ut febris tertiana, vel alius morbus naturaliter curabilis, tenetur Parochus temporalem Coadjutorem, donec morbus cessaverit, ab Episcopo approbatum pro animarum cura, constituere. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1.* Non tamen tenetur admittere Coadjutorem ab alio constitutum. Canonici, qui non tenentur per substitutum deservire, non tenentur Coadjutorem designare, si nequeant personaliter Choro assistere. *C. un. de Cler. non resid. in 6.* Qui ex beneficio simplicis, nulla administratione, jurisdictione, officio, vel cura animarum prædito, solum ad certum numerum Milliarum singulis hebdomadæ est obligatus, licet Vicarium temporalem, si morbus sit diuturnus, constituere tenetur, non tenetur Coadjutorem admittere, utpote, quo non indiget. Coadjutor perpetuus, id est, qui habet jus succedendi in beneficio per mortem, vel resignationem vacaturo, solum à Pontifice dari potest. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 7.* Quia est promissio, & provisio beneficij nondum vacantis, quæ irrita est, si ab alio, quam à Pontifice fiat. *c. 2. de Consec. præbend.* Qui utpote in beneficijs plenissima gaudens potestare, beneficiatus potest Coadjutorem, cum jure successione dare. *c. 17. 7. q. 1. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 21.* Et quidem si Episcopo sit constituendus Coadjutor perpetuus cum jure succedendi debet prius causa in Consistorio diligenter examinari, & regulariter debent concurrere in Coadjutore, illæ qualitates, quæ in Episcopis à jure requiruntur. Et hoc tantum fit, quando vel necessitas

urget, vel suadet evidens utilitas Ecclesie. Si Coadjutor non ad coadjuvandum beneficiario, quia hic adhuc habilis est ad administrationem, sed solum ad succedendum ei in beneficio datus sit, non est necessarium, quod actu habeat ordinem, quem Prælatūra, vel beneficium exigit. Nec item est necessarium, quod ipse actu habeat qualitates ad beneficium requisitas, sed sufficit, si tempore à jure requisito eas habeat. Et sic fiunt Coadjutores in Episcopatibus, qui adhuc non sunt Sacerdotes. *Laer. lib. 4. n. 722.* Si verò Coadjutor beneficiario detur, quia beneficiarius inhabilis est ad suum officium exercendum, Coadjutor, sive perpetuus cum jure successione, sive temporalis sine successione jure fit, debet actu habere ætatem, litteraturam, & alias qualitates necessarias ad officij administrationem. *Laer. lib. 4. n. 722.*

57 Causæ, ob quas Episcopo, vel Parocho, vel alijs beneficiarijs assignari potest Coadjutor perpetuus, cum jure succedendi sunt. 1. Infirmas perpetua, & incurabilis, ut amentia, lepra, paralytis, & aliæ hujusmodi. 2. Mutilatio, quæ officium Sacerdotale impedit, vel etsi non impedit, est deformitate notabilem horrorem, vel scandalum pariat. *c. 2. b. t. 3.* Senium, quod aliqui in 70. alijs in 60. annis constituunt. *Gonz. in Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 9. n. 84.* Sed hoc secundum beneficiarii complexionem considerari debet. 4. Si talis numerositas populi sit, ut ejus administrationi Parochus solus non sufficiat. 5. Defectus sufficientis doctrinæ in Parocho: vel si non intelligat, vel nesciat loqui Parochianorum diversarum Nationum linguas. *c. 14. de Offic. Ordin. Hujusmodi equidem Parochis, si alias honestæ vitæ sint, Coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputari ab Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis permittit. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 6. 6.* Periculum de lapidationis bonorum Ecclesiæ, vel si negligens, & remissus sit in officio suo, vel alias muneris suo inhabilis. 7. Absentia diuturna ex causa necessaria: vel si exul, aut captus ab hostibus sit.*

58 Ad solum Papam spectat dare Coadjutorem, etiam temporalem, hoc est, sine jure succedendi, Episcopis, cum hæc sit de majoribus causis, nec consuetudine potest hoc jus præscribi. *C. un. b. t. in 6.* Potest tamen Episcopus senio, vel infirmitate perpetua impeditus, si Papa ob distantiam adiri nequeat, de consensu Capituli sui, vel majoris partis, sibi autho-

ritate Apostolica, unum, vel duos assumere Coadjutores, si tamen demens fuerit, tunc Capitulum, aut duæ partes illius (nec sufficit consensus majoris partis Capituli) eligunt unum, vel duos, non plures coadjutores, qui munus Episcopi exerceant, & Papæ, quam citius poterit Capitulum, intimabit Episcopi, & Ecclesiæ conditionem. Et coadjutores habebunt moderatos sumptos de Prælatorum ipsorum proventibus. *C. un. b. t. in 6.* Prælati inferioribus, & Beneficiarijs possunt Episcopi, vel Prælati, Superiores jus instituenti, & delituendi habentes coadjutores temporales sine jure succedendi dare. *Gonz. in Reg. 8. Canc. G. of. 5. §. 9. n. 36. Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 10. n. 22.*

59 Coadjutorum obligatio est Officium suum, id est, munia, & vires coadjuti exercere diligenter, non excedendo limites sui officij. Item residere in loco beneficii, sicut & coadjutus, utroque enim residere tenetur. *Barb. lib. 3. de Jur. Eccl. cap. 10. n. 31.* Deinde reddere rationem suæ administrationis, etiam durante officio, si ab eo exigatur, vel Episcopo, si sanæ mentis sit; vel Capitulo, vel successori. *C. un. b. t. in 6.* Coadjutore Beneficiario, vel Episcopo dementi, tam in spiritualibus, quam temporalibus datus habet generalem, & liberam potestatem, tum ad beneficia vacantia, in Diocesi conferenda; tum ad recipiendum eorum resignationes. *Barbos. lib. 3. Jur. Eccles. cap. 10. n. 25.* Quia licet beneficii collatio sit alienationis species, coadjutori permittitur, ne diuturnior vacatio Ecclesiæ, & animabus damnus afferat. Coadjutor perpetuus cum jure succedendi datus Beneficiario, si coadjutus inhabilis ad officij administrationem sit, potest quidem coadjuto invito exercere omnia, quæ sunt jurisdictionis, quoad spiritualia, & temporalia. Si verò coadjutus non sit ad ministerium inhabilis, coadjutor nequit se ingerere in ea, quæ possit, & velit agere coadjutus. *Barbos. lib. 3. Jur. Eccles. cap. 10. n. 48.* Coadjutor verò temporalis Episcopo, vel alijs Beneficiario teni, vel infirmo, sed mentis compoti datus potest, quæ sunt jurisdictionis, seu ordinis (si illum habeat) exercere: si non sint, vel à jure, vel à coadjuto reservata: nam fines suæ commissionis diligenter servare debet. *L. 5. ff. Mandat. Habet stallum in echor, vocem in Capitulo, potestque in absentia proprietarij administrare, tanquam proprietarius, & gaudet omnibus privilegijs, quæ ratione præbendæ habet coadjutus; alijs-*

que

que gratijs, & prærogativis. Et compensare tenetur, si quid negligat, non tamen potest adire: v. g. Chorū, vel Capitulum, si ex justa causa coadjutus invitatus sit. Nec possunt coadjutor, & coadjutus simul ministrare in eodem officio, quia uterque unam personam facit. Sic *Garc. & alij cum Laer. lib. 4. n. 724.* Præterea in rebus arduis tenetur coadjutor consensum coadjuti exquirere. Hinc licet coadjutor possit ob generalem administrationem mobilia non pretiosa, & quæ servando servari non possunt, alienare, non tamen mobilia, vel mobilia pretiosa. *C. un. b. t. in 6.* Nec beneficia liberè conferre potest; hæc enim collatio ad coadjutum spectat, siquidem, adhuc retinet titulum, & possessionem Dignitatis, & licet coadjutori non competat eadem sedes, vel prerogativa in Ecclesiâ, vel Capitulo, quæ principali, ut censuit. *Navar. conf. 2. b. t. n. 5.* tamen præcedit omnes, qui respectu illius sunt inferioris ordinis; v. g. coadjutor Episcopi non præcedit alios Episcopos, si forte ibi sint, præcedit tamen omnes Abbates. Coadjutor Abbatis non præcedit alios Abbates, licet coadjutus eos præcederet, cum ille per se, & jure proprio habeat hanc prerogativam: coadjutores verò jure alieno, & participato. *Garc. de Benefic. p. 4. cap. 5. ex n. 65. Gonz. in Regul. 8. Cancell. Gloss. 9. §. 9. n. 101. Lacroix. l. 4. n. 724.*

60 Cum nullus suis stipendijs militare teneatur, & qui Altari servit, debeat de Altari vivere: coadjutor, qui servit beneficio de redditibus beneficii debet alimenta suscipere, etiam si ipse alias dives sit. *c. 3. c. 4. b. t. Trid. sess. 21. de Ref. cap. 6. L. 18. tit. 16. p. 1. ibi: E debent vivere annos de la renta de la Iglesia.* Reliqui autem fructus beneficii Beneficiario debentur: nam licet ipse sit infirmus, & impeditus non removetur à beneficio. *c. 1. b. t.* sicut militibus debilitatis ad eorum alimoniam prædia assignabantur. *L. 15. §. 2. ff. de Rei vindic. L. 18. tit. 16. p. 1. ibi: E este enfermo avrà de las rentas de la Iglesia de que vivea, maguer non la sirva.* Imo & distributiones quotidianæ ipsi adquiruntur, si eas ante infirmitatem percipiebat; *arg. c. 3. de Baptism.* secus aliter. Si enim quando sanus erat non percipiebat distributiones, quia forte negligens erat, nec eas, durante ægitudine, capiet. Si enim Clerico ægrotanti, vel impedito fructus negarentur, alijs hoc exemplo deterritis, forte non facile inveniretur, qui Ecclesiæ vellet militare. *c. 1. b. t.* Si verò fructus beneficii non sufficiant, ad utriusque sus-

tentationem, tunc Parochum, vel Beneficiarium, ut potiori jure gaudentem in beneficium, præferendum esse in fructuum perceptione, tenent aliqui cum *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 10. n. 28.* Sed contrarium tenendum est ex *L. 18. tit. 16. p. 1. ibi: E si por aventura aquel as rentas de la Iglesia non podessen cumplir annos, ha'as de tomar aquel que la sirve, è el Obispo debe dar al enfermo de que vivir.* Hodie tamen coadjutores cum jure successione, dati renuntiant juri petendi alimenta à Beneficiario, & sic expediri Bullas, in quibus jus succedendi conceditur, tenent *Garc. Machad. tom. 2. l. 4. p. 4. & alij.*

61 Mortuo principali, vel naturaliter, vel civiliter, nempe deposito, vel resignante, cessat accessorium, id est, temporalis coadjutor. Coadjutoris verò perpetui officium non cessat per principalis mortem, vel resignationem, imò per eam talis incipit esse principalis, & sine nova collatione intrat locum coadjuti, jus plenum in beneficio consequendo: Nam Pontifex in his coadjutorijs collationem facit ex nunc prout ex tunc. *Barb. lib. 3. Jur. Eccl. cap. 10. n. 48.* Si litteræ coadjutoria perpetuæ cum jure successione datæ sint, antequam coadjutus decessisset, vel cessasset, etiam si nondum ad notitiam coadjutoris pervenissent, succedit coadjuto, quia gratia à tempore data sortitur effectum. *Garc. p. 4. cap. 5. n. 132.* Secus, si dentur post coadjuti mortem, cum coadjutoria tribuat jus ad beneficium vacaturum à coadjuto possessum, & quando mors, vel renuntiatio coadjuti gratiam coadjutoria præcessit, beneficium nec possidebatur à coadjuto, nec erat vacaturum, sed vacans: ac propterea per ipsam beneficii vacationem jus conserendi fuit quæsitum Collatori Ordinario, in cuius præjudicium non censetur velle Papam beneficium coadjutori conferre. *Garc. Laer. l. 4. n. 723. & alij.* Hodie in nostra Hispania Episcopi, & Parochi non dantur coadjutores cum jure successione, sed tantum pro tempore impediti. In alijs Ecclesijs Cathedralibus viget praxis coadjutorum cum jure successione, quoad Canonicatus, & Dignitates, etiam quando Canonici coadjuti nulla infirmitate, vel alio impedimento sunt gravari. Et sic vidi Salmanticæ praticari.